

ANGELUS LUIS

IMMACULATA BEATAE MARIAE VIRGINIS CONCEPTIO EIUSQUE REGIA DIGNITAS

Aliquam, et quidem magni momenti, affinitatem adesse inter B. M. Virginis conceptionem eiusque regiam dignitatem ex eo iam elucet, quod argumenta praecipua quibus theologi innituntur ad dogma Immaculatae Conceptionis adstruendum eadem sunt omnino quae ad eiusdem Regalitatem asserendam ab omnibus afferuntur.

Haec argumenta numerantur in primis: divina Maternitas et munus corredemptivum B. M. Virginis. Quae haud infrequenter a theologis primo loco enuntiantur quoties de hac duplice veritate enucleanda quaestio ponitur. Et iure quidem. Nam, quod ad Immaculatam Conceptionem spectat, nemo non videt eam a Patribus fundari praesertim in dogmate divinae Maternitatis, cum scilicet B. Virgo proclamatur ab ipsis non simpliciter Mater Dei, sed et *digna* Mater Dei, ob speciales relationes quibus cum SS. Trinitate connectitur, propter quas et Deo propinquissima existit. «Decebat omnino, inquit Bulla *Ineffabilis*, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper omnino fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpa^e labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis Mater, cui Deus Pater unicum Filium, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum dilit, ita dare disposuit, ut naturalis esset unus idemque communis et Patris et Virginis Filius; et de qua Spiritus Sanctus voluit et operatus est ut conciperetur et nasceretur ille de quo ipse procedit».

Eademque argumentatio recurrit cum de regia B. M. Virginis dignitate quaestio proponitur. Primas semper partes occupat divina Maternitas, e qua praecipuus titulus exsurgit ad M. Virginem caeli terraeque Reginam praedicandam.

Nec dissimilis instituitur processus quoad alterum argumentationis caput; quod in corredemptione fundamentum invenit. Nam si ex Protoevangelio indubitanter sequitur B. Virginem, ut pote perfectam diaboli victricem, nullatenus posse peccato originali obnoxiam fieri, ita eodem iure sequitur B. Virginem titulo insigniri Reginae quia, cum Christo, victoria sua eripuit nos e potestate et regno daemonis ac transtulit in Christi potestatem et regnum. Fit ergo Maria per divinam Maternitatem Regina titulo naturali, et per corredemptionem Regina constituitur titulo acquisitionis, non secus ac Christus, qui vi unionis hypostaticae Rex fit iure naturae, et vi redemptionis iure acquisito Rex constituitur.

I. DIVINA MATERNITAS TAMQUAM RADIX AC FUNDAMENTUM IMMACULATAE CONCEPTIONIS AC REGALITATIS.

DIVINA MATERNITAS ET REGALITAS. – Et primo quidem, ad Regalitatem quod attinet, quam plurimos fas erit congerere textus, e Patribus tam graecis quam latinis depromptos, in quibus non tantum Maria titulo Reginae centies decoratur, sed insuper huius honoris ac dignitatis fundamentum proponitur divina Maternitas. Maria est vere ac proprie dicta Domina et Regina quia mundi edidit Redemptorem, Regem regum et Dominum dominantium. Haec est ratio praecipua, in qua assignanda nulla datur inter auctores nec dari potest controversia. Maria est Regina, quia Mater Dei.

Duplex autem via nobis offertur ad hanc conclusionem attingendam: Jesu Christi divinitas vel ipsa eiusdem humanitas. Christus enim, sive consideretur ut Deus sive consideretur ut homo, Rex et Dominus est absque dubio nuncupandus. En ratiocinii specimen hac duplice formalitate praeditum: 1) Maria est Mater Filii Dei quoad eius humanam naturam. *Atqui* Filius Dei quoad eius humanam naturam est Rex. *Ergo* Maria est Mater Regis, vel quod in idem recidit, Maria est etiam Regina. 2) Maria est Mater Filii Dei. *Atqui* Filius Dei est Rex quoad suam naturam divinam. *Ergo* Maria est Mater Regis seu, aliis verbis, Maria est Regina.

Una eademque conclusio nobis offertur (quotiescumque admittatur Matrem Regis nomine exornari Reginae), quia Christus Filius Dei Unigenitus, est verus ac proprie dictus Rex, sive attendamus ad divinam sive attendamus ad humanam ipsius na-

turam, propter indivisam uniuscuiusque naturae unionem in una eademque persona divina, scilicet in persona Verbi cui hypostaticē unita fuit etiam humana natura Verbi Incarnati.

Legitimitas conclusionis ab omnibus admittitur. Evanescit, autem, auctorum concordia cum vinculum assignant quo inter se devinciuntur conclusio et praemissae in quibus conclusio continetur.

Patres et antiquiores theologi generatim rationem allatam proponere non dubitant, sed logicum processum argumentationis nullatenus aperiunt. Postea, vero, labentibus saeculis, conceptus «Maternitatis» funditus perpenditur, et in eo sufficiens valor iuridicus deprehenditur ut dignitas et praerogativae Filii in Matrem transferantur. In hac argumentatione enucleanda magnum sibi nomen comparavit Christophorus Dé Vega, qui ad Aristotelis auctoritatem semel et iterum recurrit. «Quaelibet, enim, dignitas et honos quo a natura sua gaudet filius, in parentes etiam refunditur... Propositio traditur ab Aristotele, lib. 8 Eth. c. 11, ubi haec habet «... natura pater filiorum imperium obtinet...». Addit Aristoteles: «Societas patris ad filios regni prae se fert effigiem; nati namque patri sunt curae». Ac si diceret parenti, naturae ipsius ductu, superiorem esse filio, ac ipsius veluti regem, unde si filius a natura sortiatur regnum, sane pater rex erit regis, adeoque absolute rex; quaecunque enim filius a natura ipsa sortitur, in parentem necessario redundant» (1).

Quamdam, deinde, ut ita dicam, modalitatem huiuscmodi argumentationis insinuat, affirmando filium semper et ubique considerari tamquam partem patris: «Filius censetur, inquit, vel pars aliqua parentis, vel idem prorsus cum illo» (2). Praeveniens, denique, difficultatem quae sponte ex allatis rationibus exsurgit, ultro concedit consularē dignitatem (quod ad praesidis hodiernam dignitatem applicare fas erit) non a patribus ad filios derivari. Sed hoc exinde provenit quod dignitas consularis non nisi per populi electionem confertur, quae quidem dignitatem non transfert nisi ad determinatam personam. Sed res aliter omnino se habet cum dignitas ex ipsis naturae visceribus ortum ducit. Et ita concludit: «At Christus Dominus non ex hominum elec-

(1) CHR. DE VEGA SI, *Theologia Mariana* II, Neapoli 1866, 349.

(2) *Ibid.* 350.

tione vel privilegio, sed iure ipso naturali sibi regnum et imperium creaturarum omnium comparavit...; ergo etiam eadem dignitas et imperium in Dei Genitricem refundetur» (3).

Argumentationem aliter disponit Sedlmayr, illam considerans sub luce analogiae quae datur inter Christum et Mariam; comparationem statuit inter unionem hypostaticam et divinam Maternitatem, ut ex illa conclusionem eruat eundem adesse processum quoad consecaria regiam dignitatem spectantia. Si Christus, ergo, nuncupatur Rex universi ratione unionis hypostaticae, eodem iure Maria nuncupanda erit universi Regina rationie divinae maternitatis. Quia, sicut in Christo unio hypostatica est radix naturalis eius regiae potestatis, quatenus dominium radicale supra universam creationem implicat, ita etiam divina Maternitas secum fert dominium radicale supra res omnes quae Filii sui imperio subduntur, quia connaturale confert ius et dominium supra omnia bona Filii. «Unio hypostatica in Christo, inquit, est radix moraliter exigitiva dominii super omnes creatureas; ergo etiam Maternitas Dei in B. Virgine. Consequens probatur: Ideo unio hypostatica radicat dominium in omnes creatureas, quia tribuit Christo filiationem naturalem, et inde ius haereditarium omnium bonorum Dei ad extra; ergo etiam Maternitas Dei erit radix moraliter exigitiva eiusdem dominii, quia pariter tribuit connaturale ius ad bona Filii» (4).

Ut rationibus allatis maius pondus et maiorem vigorem conferat, in medium afferre satagit Sedlmayr principium iuridicum ab omnibus legisperitis omnium saeculorum admissum: «ratione fictionis cuiusdam iuris naturalis filius non emancipatus non habetur tamquam iuridice distinctus a parentibus». Atqui, prosequitur, Christus iuri emancipationis voluntarie renuntiavit. Ergo quocumque ad ipsum pertinet, ad suam etiam Matrem simul pertinet; cumque Rex et Dominus ipse dicendus sit, Regina et Domina eius Mater etiam erit dicenda (5). Ad hoc ipsum principium procul dubio reducitur quod in medium affert P. Miechow, cum asserit in arbore stipitem et ramos eiusdem omnino esse naturae (6).

Ad Sedlmayr tamen quod attinet, fortasse non nimiam vim ipsem suis rationibus attribuat. En quomodo, objectionis cuius-

(3) *Ibidem.*

(4) *Summa aurea de laudibus B. M. Virginis*, ed. MIGNE VII, Parisiis 1862, col. 1337-1338.

(5) *Ibid.* 1338.

(6) *Conferencias sobre las Letanías* V 640.

dam valorem infirmando, argumentationi antea longius protractae speciem vacillationis apponit. «Respondeo quod, licet extra voluntatem divinam non detur propria causa physica dominii B. Virginis in mundum universum, adest tamen causa moralis, seu congruitas moralis et exigentia fundata in Maternitate Dei, quam moralem congruitatem Deus, qui nihil non fecit nisi quod maxime congruit, infallibiliter attendit, ut patet in exemplo unionis hypostaticae et in rationibus motivis quae etiam in humanis convincent; sic etiam in humanis filius est haeres patris, bona filii subiecta sunt potestati parentum» (7).

Quid autem cogitent recentiores theologi de hac ratione proponendi ac solvendi quaestionem? Inficias ire non poterimus, impresentiarum non deesse mariologos qui ab ista via recedendum esse declarant et aliam carpere malint. Non desunt quidem magni nominis auctores qui gressibus veterum insistere pergent. Ita, praesertim P. Hugon et Card. Lépicier, qui quamvis veterum sententiam circa ius Mariae haereditarium ad bona Filii sui leviter immutare nitantur, de facto tamen in eundem recidunt forensem sermonem a Vega et Sedlmayr pro viribus usurpatum. Eorum profecto verba, ni fallimur, occasionem praebuerunt ut contra antiquorum sententiam surgeret oppositio et protinus invalesceret.

En verba P. Hugon in opere *Marie, pleine de grâce*, cuius fama multis iam abhinc annis per orbem manavit: «Des pieux auteurs... soutiennent que la Sainte Vierge est, par sa Maternité, Reine de tout l'univers. Car, si elle est Mère, elle est héritière naturelle de tout le patrimoine du Fils. Si Mater, et haeres. Le Fils de Marie a reçu le domaine sur toutes les choses,... par droit de naissance en vertu de l'union hypostatique... Marie sera de droit reine avec lui» (8). Quae verba semel et iterum confirmat in suis Tractatibus dogmaticis, ubi haec habet: «qua Deipara ius habet ad haereditatem Filii, et Filius est Rex angelorum et totius universi, hinc B. Virgo fit angelorum Regina et universi Domina» (9).

Card. Lépicier per eamdem viam recto tramite incedit cum in suo libro *Tractatus de B. Virgine* haec scribit: «Illud quod Christo iure haereditario, tamquam Filio Dei naturali, convenit, hoc etiam Beatae Virgini tamquam Christi Matri naturali et pri-

(7) *Summa aurea de laudibus B. M. Virginis* VII 1340.

(8) ED. HUGON OP., *Marie pleine de grâce* 58.

(9) ED. HUGON OP., *Tractatus dogmatici* II, Parisiis 1933, 736-738.

mogenitae Dei per adoptionem Filiae, quantum humana natura patitur, tribuendum est. *Atqui Christus Dominus iure haereditarior est supremus Rex hominum atque angelorum. Ergo Deipara Virgo iure meritoque appellatur hominum angelorumque Regina.* Maior huius argumenti fundatur in hoc legum principio ... Principeps eadem (Augustae) privilegia tribuit quae et ipse habet» (10).

In confirmationem probationis allatae commemorat insuper principium iurisprudentiae supra laudatum, iisdem fere verbis quae a Sedlmayr nuper accepimus. Contra istam iuridicam notionem tituli B. Virginis Mariae ad regiam dignitatem sibi vindicandam, nostris diebus insurrexit De Gruyter, omnimodam extollens Christi independentiam relate ad leges positivas, in quibus reapse Card. Lépicier maiorem sui argumenti fundabat. Et subdit extemplo, contra argumentationem Patris Hugon, Christum-hominem de se non teneri ad haereditatem suam B. Mariae Virgini tribuendam. E contra, enim, ipsi subjiceretur. Ex alia parte, prae oculis habendum est, nullibi in lege naturali nec positiva esse praeceptum ut Mater Dei totius patrimonii Filii sui haeres naturalis constituatur... (11).

Quaenam, ergo, vis inesse dicenda erit verbis evangelii: «et erat subditus illis»? (Lc. II 51). Haec verba, iuxta mentem cl. De Gruyter, nihil sunt nisi clarissimum iudicium Dei amoris tenerissimi erga Matrem suam, cum ipsi scil. *amore ductus*, privilegium tribuerit Filio suo unigenito imperandi, quamvis stricte loquendo tale ius ipsi nullo modo competeteret; nam persona divina nulli creaturae subjicitur. Pro De Gruyter, ergo, nulla intercedit connexio inter divinam Maternitatem et regiam Mariae potestatem praeter amorem ineffabilem quo Deus Matrem suam prosequitur. Propter istum praedilectionis amorem Maria autoritate specialissima coram Filio suo potietur, tali amori proportionata, et exinde eius preces, e corde materno erumpentes, irresistibilem influxum in corde Filii sui necessario exercebunt. Haec est ratio propter quam B. V. Maria proclamat a Patribus «Omnipotentia simplex». Quae quidem appellatio efficaciam qua intercessio B. M. Virginis pollet apud Deum, prae ceteris omnibus appellationibus ac titulis, luculenter exprimit.

Modus iste concipiendi vinculum quo divina Maternitas et Regalitas B. M. Virginis inter se colligantur melius nobis con-

(10) AL. LÉPICIER, *Tractatus de B. Virgine Maria* p. III c.2 a.1 n.3.

(11) L. DE GRUYTER, *De B. Maria Reginâ*, Buscoduci - Augustae Taurinorum 1934, 143.

gruere videtur naturae *regni caelstis* in quo Maria imperium ac potestatem exercet. Si autem, mentem nostram nobis aperire fas est, operaे pretium ducimus altissimam convenientiam ostenderè quam relate ad dignitatem regiam divina Maternitas sibi iure vindicat. Quae quidem convenientia, nostra saltem opinione, fines verae necessitatis attingit, ita ut quaedam veluti imperfectionis umbra in Deum recidere videretur, si talem convenientiam in praxim nullo modo reduceret. Quapropter affirmare non erubescimus associationem Mariae ad universale Jesu-Christi regnum modo connaturali et harmonico originem ducere ex conceptum *talis* Maternitatis, quia Deus destrueret harmonicam unitatem omnibus suis operibus impressam si, B. M. Virgine in hypostaticum ordinem elevata, illam deinde ad gloriam sui principatus associare renueret.

Neque a nostra multum distare videtur mens Patris Nicolas OP. cum istam exigentiam fundare contendit in munere quo fungitur Maria tamquam socia Jesu-Christi Regis. «Virgo Maria, inquit, non est formaliter Regina nisi per suam cum Christo Rege coniunctionem. Eius regia potestas correspondet regiae potestati Dei-hominis. Regina tali Régi correspondens est Mater ipsius. Quid nobis dicendum restat nisi vinculum unionis inter talem Matrem ad talem Filium aliquid fortius praे se ferre quam vinculum sponsae; omnesque eius effectus praे se ferre quoad hominis ac feminae consortium ad eundem scopum attingendum? Hic est certo certius profundus valor doctrinae circa novam Evam. Prima Eva tamquam socia primo Adamo adscripta fuerat. Alia etiam mulier adscripta fuit tamquam socia Verbo Incarnato ad exsequendum opus humanae salutis» (12).

DIVINA MATERNITAS ET IMMACULATA CONCEPTIO. — Haec quidem quantum ad intimam connexionem et dependentiam inter regiam Mariae dignitatem ac eiusdem Maternitatem Dei-hominis. Quid, autem, de connexione inter Maternitatem et Immaculatam Conceptionem? Estne etiam divina Maternitas ratio ac fundamentum immaculati B. M. Virginis conceptus? Affirmative prorsus huic etiam quaestioni respondemus, quamvis aliter et aliter argumentatio statuenda videatur.

Impræsentiarum, enim, quaestio agitur non quidem de radice physica, e qua per naturalem resultantiam derivantur alia privilegia B. M. Virgini concessa, quibuscum ergo naturali vinculo

(12) M. J. NICOLAS OP., *La Vierge Reine*: *Revue Thomiste* 45(1939) 18.

et naturali connexione devincitur, sed de radice morali, quae non nisi connexionem consonantiae et convenientiae et proportionis importat. Ut rem aliter exprimam, ordinem ingredimur finalitatis, qui teleologicus etiam a theologis dicitur. In quo quidem ordine nihil interest quominus effectus causam praecedat et effectum causa sequatur; quamvis, enim, radix physica effectum reapse naturaliter praecedat prioritate temporis, vel saltem naturae, haec prioritas, tamen, nullatenus pertinet ad rationem causae moralis et finalis, quae effectum non praecedit in sua realitate sed moraliter tantum et *in intentione* (13).

Quibus ita positis, affirmandum censemus Immaculatam Conceptionem, non secus ac cetera omnia privilegia B. M. Virgini concessa reapse fundari in divina Maternitate, ab eaque tamquam effectum a causa moraliter et intentionaliter pendere. B. Maria, igitur, fuit immaculate concepta quia futura erat Mater et quidem dignissima Mater Dei. «Decuit, enim, Filium Dei puritatis et sanctitatis exemplar talem sibi formare Matrem, quae omnino esset pura et ab omni peccato aliena. Porro ad dignitatem Christi Filii incarnati non tantum pertinet sanctitas et puritas Virginis eo tempore quo Christum concepit, sed simpliciter toto vitae tempore, ideoque ab initio existentiae suae; nam eo tempore quo B. Virgo concepta est, immo a tota aeternitate existebat persona illa divina quae ipsam condebat et praeparabat in Matrem» (14).

Optime quidem quaestionem exponit Salmerón: «Mariae Maternitas, inquit, conceptionis illius comes fuit et administra... Vis nosse puritatem et dignitatem immaculatae conceptionis Deiparae? Non reputes temporis divortium inter Mariae conceptionem et Dei Maternitatem. Nam etsi conceptio quindecim annorum spatio Maternitatem anteverterit, in Dei tamen mente et mysteriorum praevisione Maternitas conceptionis est comes, nec computanda est sine Maternitate conceptio. Concipitur, enim, Dei Mater digne futura. Unde divina Maternitas futura Dei Matris conceptioni adest, ut affinitatem cum peccato praeopere arceat et avertat. Nec tantum divina Maternitas comes est, sed etiam mariana conceptionis administra; scilicet tantus gratiae et gloriae nitor in Deiparae purissima conceptione emicat, ut Dei Maternitas, quae est omnium Mariae gratiarum matrix, non dedigneatur puritati conceptionis veluti ministrare; siquidem singulare et

(13) GR. ALASTRUEY, *Mariologia sive Tractatus de B. V. Maria I* 161.

(14) *Ibid.* 293.

perillustre gratiarum omnium privilegium in conceptione Virgini praemature concessum, ex divina Maternitate auguste nascitur; gratia, enim, tunc naturam praeopere antevertit, ut digna Filii Dei Mater conciperetur. Ergo infinita dignitas et gratia divinae Maternitatis veluti comes et administra adest immaculatae Virginis Deiparae conceptionis» (15).

II. CORREDEMPATIO SEU PRINCIPIUM CONSORTII TAMQUAM RATIO AC FUNDAMENTUM REGALITATIS ET IMMACULATAE CONCEPTIONIS.

CORREDEMPATIO ET REGALITAS. – Et primo quidem de Corredemptione seu de principio consortii in ordine ad Regalitatem breviter loquamur.

Nemo non novit theologos generatim, ipsumque Pium XI in Encyclica *Quas primas* duplē assignare fontem regiae Christi potestatis: unionem scil. hypostaticam et opus Redēptionis a Christo peractum (16). Aliis terminis adhibitis, Christo regnum competit ac imperium sive iure naturali sive iure acquisito.

Regulis analogiae servatis, easdem omnino rationes invenire est ut Mariam titulo Reginae exornemus. Rationes istae sunt divina B. M. Virginis Maternitas ejusque munus corredemptricis iuxta Redemptorem in toto salutis opere exsequendo.

Quo pacto regia Mariae potestas ortum ducat ex divina Maternitate iam hucusque explicare sategimus. Operae pretium est ut iam secundam perscrutemur rationem, dependentiae relationes detegere conantes quibus Regalitas cum munere B. Virginis corredemptivo arte connectitur.

Et primo quidem, neminem fugit quanti sit momenti principium illud in Protoevangelio promulgatum, tum ratione eiusdem fecunditatis pro universa theologia Redēptionis adumbranda, tum praesertim pro munere Corredemptricis B. M. Virgini assignando. Iure meritoque principium consortii ac divina Maternitas cardines appellari possunt sub quibus tota vertitur doctrina

(15) ALF. SALMERÓN SJ., *Commentarii in Evangelia*, III tract. 30. Versio castellana Hispanica apud ALASTRUEY, *Tratado de la Virgen Santísima*, Madrid 1947, 235-236.

(16) Enc. *Quas primas* diei 11 XII 1925 = AAS. 17(1925) 598 ss. Cfr ED. HUGON OP., *La fête spéciale de Jésu-Christ Roi*: Rev. Thomiste 30(1925) 297-320. - R. GARRIGOU-LAGRANGE OP., *La royauté universelle de N.S. Jésus-Christ: La Vie Spirituelle* 13(1925)-26) 5-21. - ED. FABOZZI, *Christus Rex I-II*, Firenze 1935. - A. COLUNGA OP., *La realeza de Cristo: Cien-cia Tomista* 38(1928) 1ss. - M. J. NICOLAS O.P., *Le Christ, Roi des nations*: Rev. Thomiste 44(1938) 437-481.

mariologica. Nihil mirum, ergo, P. Bover multis jam abhinc annis haec verba protulisse: «El llamado Protoevangelio no sólo es el testimonio más antiguo que anuncia y promete a la segunda Eva, la V. María, sino también una de las fuentes más fecundas de toda la mariología y uno de sus más firmes fundamentos. Es además como centro a donde convergen todos los demás testimonios de la Escritura y de la Tradición, y que da cohesión y unidad a todos ellos» (17). Sub lumine huius principii clara ac perspicua redditur arctissima connexio Mariam cum Christo devinciens in opere humanae restorationis universo. Non agitur, enim, de unione quadam infecunda simul ac statica, sed de activa prorsus connexione quae vicissitudines nobis aperit certaminis illius singularis inter callidum paradisi serpentem et mulierem ac semen ipsius. Et agitur praesertim de clarissima Victoria quam, sub Christo et dependenter a Christo, secunda Eva de callido serpente reportabit, iuxta verba Bullae *Ineffabilis*: «Sanctissima Virgo arctissimo et indissolubili vinculo cum eo [Christo] conjuncta, una cum illo et per illum sempiternas contra venenosum serpente inimicitias exercens, ac *de ipso plenissime triumphans*, illius caput immaculato pede contrivit».

Ex principio consortii, quod quaestionem actualis oeconomiae redemptivae tam mirifice illustrat, conclusio eruitur maximi momenti pro capite doctrinae nunc nobis agitando. Sicut semel et iterum iam diximus, theologi omnes, unanimi consensu, secundum Christi titulum ad regiam potestatem in opere Redemptionis inveniunt. Per sui sanguinis effusionem, potestatem iurisdictio-
nis supra creaturas omnes acquisivit.

Eodem iure etiam, propter suam cooperationem ad victoriam supra diaboli imperium, Christi sanguine partam, V. Maria regiam potestatem obtinere meruit. Non desunt Patrum ac Doctorum testimonia quae doctrinam istam suboscure multoties, clare et aperte nonnumquam, prae se ferre videantur. Inter omnes, autem, facile princeps evadit S. Albertus Magnus, qui haud semel, data opera, modalitatem istam principii consortii luculenter exposuit. Iterum atque iterum B. Mariae Virginis compassionem exhibet tamquam radicem et fundamentum eius regiae dignitatis. «Beataissima Virgo assumpta est in salutis auxilium et in regni consortium: ipsa enim sola, ministris fugientibus, compassa fuit. Unde et sola regni consortium obtinuit, quae laboris adiutrix

(17) *Estudios Eclesiasticos* 1(1922) 319.

fuit» (18). «Beata... Virgo non est vicaria, sed coadiutrix et socia, particeps in regno quae fuit particeps passionum pro genere humano» (19). Et regiam Christi potestatem cum regia Virginis potestate conferendo, eamdem utriusque originem eamdemque radicem designare gaudet. «Quia vere sola Dominicae passionis facta fuit particeps; quia ab eodem dominio et regno a quo Filius nomen accepit regis et ipsa reginae; domina enim, ut ait Damascenus, vere facta est, omnium Conditoris Mater existens» (20). Ut ex his verbis elucet, quibus duplicem rationem assignat regiae dignitatis Mariae, Doctor universalis divinam maternitatem prae oculis numquam habere desinit, etiamsi nonnumquam Mariae compassionem pro viribus extollere conetur. Eiusdem doctrinae propugnator et antesignanus exstitit etiam Eadmerus, praeclarissimus S. Anselmi discipulus, qui analogiam inter Redemptorem et Corredemptricem his verbis illustrat: «Cuncta quae Deus bona et utiliter fecit in eo statu quo condita fuerunt, esse destiterunt, et per hanc beatissimam Virginem in statum pristinum revocata sunt et restituta. Sicut ergo Deus sua potentia parando cuncta, Pater est et Dominus omnium, ita *B. Virgo suis meritis cuncta reparando Mater est et Domina rerum*; Deus enim est Dominus omnium, singula in sua natura propria iussione constitudo; et Maria est Domina rerum, singula congenitae dignitati per illam quam meruit gratiam restituendo»... (21).

Plura alia possemus congerere testimonia sive ex antiquis sive ex recentioribus theologiis deprompta. Hoc tamen nullatenus necessarium ducimus. Animadvertere nihilominus iuvat Regalitatem ex munere Corredemptricis eadem derivari necessitate moralis qua illam ex divina Maternitate derivari diximus. Ex Maternitate, quidem, tamquam ex fundamento proximo. Ut optimè assent Merkelsbach: «A momento incarnationis et divinae Maternitatis, Mater Dei habet ius radicale ad regnum. At secundum dispositiones divinae Providentiae debuit illud etiam mereri sua coniunctione cum Christo et compassione» (22).

Christus, propter acerbos passionis ac mortis dolores, exaltationem meruit supra res omnes creatas, ita «ut in nomine eius omne genu flectatur caelestium terrestrium et infernorum»

(18) *Mariale* q. 43 §2 (p. 85).

(19) *Ibid* q. 42 (p. 81).

(20) *Ibid* q. 168 (p. 230).

(21) EADMERUS Cantuariensis monachus, *Liber de excellentia V. Mariae* c. XI =PL. 159, 578.

(22) B. H. MERKELBACH OP., *Mariologia* p. III q. 3 n. 209.

(Philip. II 8-9). Et cum B. Virgo individua et inseparabilis existiterit socia passionis et martyrii, adeo ut, iuxta crucem ipsius, doloris gladio paene fuerit commortua, quo pacto posset Filius regni gloriam et triumphi exaltationem cum Matre non communicare? Qua ratione illam prohibere valeret a participatione regni quod ambo simul tot doloribus ac lacrimis condiderunt?

PRINCIPIUM CONSORTII AC IMMACULATA CONCEPTIO. – Sed iam de relatione inter corredemptionem et immaculatum Virginis conceptum pauca dicamus.

Mens nostra est vincula ostendere quo Immaculata Virginis Conceptio cum eius munere corredemptivo connectitur, demonstrando scil. B. Virginem propter eius unionem indivisam cum Iesu Redemptore in opere salutis exsequendo nullo modo maculae originali subiacere potuisse. Exinde enim clare et aperte apparebit strictam etiam dari relationem inter Immaculatam Conceptionem ac regiam Virginis potestatem, cum iam antea ostensum fuerit munus Mariae corredemptivum fundamentum praebere ad eiusdem Regalitatem adstruendam.

Quod quidem absque ulla difficultate probatur. Summam doctrinae in verbis Protoevangelii contentam breviter recolere sufficiat. In oraculo illo genesiaco perpetuae serpentem inter ac mulierem inimicitiae et inter utriusque semen annuntiantur. Quae quidem inimicitiae, nulla ratione cum originalis culpe labe in Maria conciliari valent. Ratio est quia, sicut amicitia cum diabolo communionem et consortium cum ipso absque dubio importat, inimicitia e contra bellum, aversionem et oppositionem supponit. Ergo si Maria, quamvis per brevissimum tempus, peccato originali obnoxia fuisset, socia diaboli, illo saltem brevi tempore, fuisset, ac proinde perpetuas cum illo inimicitias non exercuisset, nec multo minus plenissimum de ipso triumphum retulisset. Inimicitiae quas contra diabolum Maria Virgo exercet similes sunt inimicitiae quas exercet Redemptor. Immo, iuxta verba Pii IX in Bulla *Ineffabilis* sunt ipsissimae Christi inimicitiae. Ergo, si inimicitiae Christi absolutae sint ac perpetuae, absolutae etiam et perpetuae sint oportet inimicitiae Virginis Mariae. Quae tamen tales non fuissent si illa aliquando per originale peccatum sub diaboli fuisset potestate. Ergo munus Corredemptricis quo B. Virgo fungitur iuxta Redemptorem eius immunitatem a qua cumque labe indubitanter exigit. Aptissime quoad scopum nostrum clarissimus Janssens: «Sicuti Eva cooperata est ruinae gentis sua, licet peccatum Adami eam proprie personaliter per-

diderit, ita, licet semen mulieris sit conterens propria virtute caput serpentis antiqui, nihilominus mulier ab eo non separatur, et quasi unum cum ipso efformat. Hoc autem qui aequo fieret, nisi tam specialissima dignitate esset exempta, ut innocens stare posset ad latus innocentis? Oportet igitur istam Corredemptricem esse quidem redemptam, sed tamquam a peccato praeservatam immunem; verbo, *ut sit immaculata ab ipso instanti conceptionis suae*: Quaevis levissima mora in sanctificatione Matri, hanc, etsi per instans relinqueret serpenti praedam, ac proinde imparem, quae cum Filio contereret eius caput tamquam cooperans operi salutis» (23).

En, ergo, quo pacto B. M. Virginis immaculata conceptio ex principio consortii quam facillime eruatur, non secus ac ex eodem principio eruitur eius regia potestas.

III. REGALITAS ET IMMACULATA CONCEPTIO DIRECTE INTER SE CONFERUNTUR.

Praeter divinam Maternitatem et principium consortii in quibus omnes mariologi nituntur ad Regalitatem B. M. Virgini tribuendam, aliae non desunt rationes ab aliquibus allatae ad eamdem veritatem suadendam.

Ex rationibus istis primum absque dubio locum occupat originalis iustitia B. M. Virgini in primo instanti conceptionis infusa, seu aliis verbis, privilegium Immaculatae Conceptionis. Auctores qui talibus ducuntur rationibus, consci vel inconscii, in eo praesertim nituntur quod protoparentes generis humani simul cum originali iustitia imperium ac principatum supra res universas acceperunt. Quod quidem fundamentum habet in verbis Geneseos: «Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et *praesit* piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis, *universaeque terrae*» (Gen. I 26). En igitur, ajunt, primus homo rex et princeps effectus totius universi. Sed supervenit peccatum, protoparentes originali expoliantur iustitia et simul cum iustitia sceptrum amittunt regiae dignitatis quo rebus universis imperabant.

Ex narratione hac genesiaca auctores illi concludere non dubitant originalem iustitiam radicem esse ac fundamentum regiae potestatis. Iam vero, B. V. Maria ab omni originalis culpe labe

(23) L. JANSENS OSB., *Tractatus de Deo-Homine sive de Verbo Incarnato. II Mariologia* sect. I c. I q. 27.

immunis praeservata, mundum penetravit gratia plena et iustitia originali circumdata. Ergo, absque ullo dubio, ex hoc iam titulo Regina mundi a nobis erit nuncupanda.

Quid de hac argumentandi ratione? Quamvis, primo saltem obtutu, rationabilis et optime fundata videatur, si rem bene perpendimus, omni fundamento destituta conspicitur. Nos quidem in iustitia originali rationem invenimus ad regalitatem metaphoram et analogicam Virgini adiudicandam; quae quidem regalitas Mariam supra omnes creaturas extollit; sed regiam dignitatem in sensu formalis et stricto nullatenus confert. Maria, enim, utpote sine ulla peccati labe concepta, omnibus creaturis ratione originalis sanctitatis superior existit. Hic autem nitor et ista pulchritudo essentialiter non differt ab eius formalis sanctitate, vi cuius illam hominum et angelorum Reginam analogice et metaphorice constitutam diximus. Originalis iustitia non est nisi pars quaedam illius copiae sanctitatis et gratiarum quibus B. Mariae Virginis anima opus praestantissimum omnium Dei operum redditur, si, ut par est, Christi humanitatem excipimus. Nonnisi gradibus, ergo, a cumulo ipsius sanctitatis distinguitur; et talis differentia dignitatem et excellentiam ab illa sanctitate specificem diversam Virginis conferre non valet. Termini ipsi a defensoribus huius opinionis adhibiti ansam nobis praebent ad rem ita proponendam. En, v.g. quo pacto cl. Lhoumeau, unus ex praecipuis talis sententiae propugnatoribus, rem probare contendit. «Fundari potest, inquit, Mariae regia potestas supra iustitiae originalis statum, in quo propter suam Immaculatam Conceptionem collocata fuerat. Deus homini super universam creationem principatum contulerat. Vi peccati Adamus illum perdidit. Propter innocentiam et sanctitatem illum aliquatenus sancti recuperarunt. Nil autem erat cur B. Virgo regalitatem recuperaret quam propter peccatum nunquam amiserat. Puritate in sua Conceptione praecellens, Regina est iam ab eius hunc in mundum ingressu» (24).

Ut ex simplici huius paragraphi lectione liquet, prae oculis in primis habetur regalitas quaedam honoris et excellentiae, derivata ex gratia et sanctitate animas iustorum exornante, quae quidem ob talem sanctitatem ceteris omnibus creaturis eo magis antecellunt quo altior sit gradus sanctitatis ipsis inhaerentis.

Quamvis autem Immaculata Conceptio non reputanda sit titulus sufficiens ad regalitatem in sensu stricto et formalis B. Ma-

(24) ANT. LHOUMEAU, *La vie spirituelle à l'école du B. L.M. Grignion de Montfort*, Paris-Rome 1902, p.II chap. 3.

riae Virgini adscribendam, nihilo tamen secius absolute fatendum est haud parvi esse momenti relationes inter utrumque privilegium existentes.

Immaculata Conceptio personae Virginis Mariae qualitates indit quae muneri regali obeundo maxime inservient. Quod ut magis magisque percipiamus non abs re erit in mentem revocare regiam Mariae dignitatem nullatenus abstrahere posse ab eius intima cum Christo associatione ad opus humanae salutis exsequendum. In regno igitur gratiae tam Christus quam Beata Virgo regiam potestatem exercere debent homines dirigendo ad finem societatis supernaturalis, ad adipiscendam scilicet aeternam totius generis humani salutem. Agitur ergo de regno gratiae, de regno amoris, de regno caritatis, sicut in praefatio festivitatis Christi Regis pulcherrime exprimitur: «regnum veritatis et vitae, regnum sanctitatis et gratiae, regnum justitiae, amoris et pacis». Ex quo sequitur evidenter plenitudinem gratiae ab eius Immaculata Conceptione derivatam Mariae potissimas conferre qualitates ad finem hujus regni quam aptissime attingendum. Nulla alia inter omnes creaturas existentes adeo proprie et competenter munere regio iuxta Christum Regem fungeretur sicut illa «benedicta inter mulieres», sicut illa «gratia plena», omnibus ditata charismatibus quae ad regnum Christi condendum simul ac dilatandum maxime conferre comperta sunt. Regalitas Christi ac Mariae tota sane adimpletur per manifestationem dicitiarum supernaturalium gratiae; gratiae, inquam, qua Maria per Immaculatam Conceptionem adeo exstitit particeps ut nemo aliis praeter ipsam unquam exstiterit. Et actuale regalitatis exercitium certo certius conditionibus subditur ex Immaculata Conceptione manantibus, nam gratiae plenitudo in primo instanti Virgini infusa necessario importat iurium ac potestatis plenitudinem in associatione cum Christo ad homines in supernam beatitudinem evehendos. Haec directio, ac veluti manuductio, denique tandem aliquatenus consummabitur per communicationem regiae potestatis ipsis hominibus a Christo et Beata Virgine peractam cum, iam in termino collocati, gloriae caelestis participationem obtineant. Tunc enim omnes et singuli electi cum Christo et B. Virgine regnabunt.

Sed insuper affirmare licet exercitium regiae Mariae potestatis eo tendere etiam ut singulare Immaculatae Conceptionis privilegium in fidelium utilitatem conferat, ipsis aliquid praestando de cumulo gratiarum in primo instanti suae Conceptionis Beatae

Mariae Virgini concesso. Conceptio, enim, Immaculata secum importat initium vitae illius deifica quo Beata Virgo ditatur in terris, quaeque in aeterna Dei possessione per beatificam visionem in patria suam finalem plenitudinem adipiscitur. Vita haec, plena et superabundans, iam substantialiter invenitur in Beata Virgine Maria a primo suae Conceptionis instanti, et praecise quidem vi ipsius Immaculatae Conceptionis. Iam vero, neminem fugit exercitium regalitatis Mariae, necnon et fructus gratiae et sanctitatis ex eodem nobis obvenientes, nihil aliud intendere nisi homines in finalem Dei possessionem dirigere. In qua sane Dei possessione vita gratiae sanctificantis exspers omnino exhibetur a quacumque, vel minima, labe et macula ex peccato originali manante. Unde vita illa similitudinem exprimit «singularis gratiae et privilegii» Conceptionem illibatam Virginis Mariae concomitantis. Et exinde magis magisque conexio resplendet inter Immaculatam Mariae Conceptionem et exercitium ipsius regiae potestatis, vi cuius homines in patria immunes erunt a quocumque naeve peccati, sicut Beata Virgo immunis fuit a quacumque originalis culpae labe ab initio suae Conceptionis.